

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Octavus De Unione Spirituali Seu Mystica Cum Deo.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

nēuos ad gratiam, in qua stant, in Iesu sanguine per fidem liber aditus pateat, Rom. V, 2. Eph. II, 18. Hebr. IV, 16. X, 19. 22. (5) quod multo magis futurum sit, vt Christi sanguine ac morte nunc iustificati Deoque reconciliari, per ipsum ab ira defendantur, seruenturque per eius vitam, Rom. V, 9. 10. (6) quod non solum iam hoc tempore de futura gloria, sed de Deo etiam gloriari possint per Iesum Christum, per quem (vñ) nunc reconciliationem sunt adsequuti, Rom. V, 11.

ARTICVLVS OCTAVVS

DE

VNIONE SPIRITVALI
SEV MYSTICA CVM DEO.

§. I.

Quodnam quintum beneficium status gratiae? **Q**uintum beneficium status gratiae est vnio spiritualis seu mystica cum Deo, quae in animo per fidem incipit, simul ac locum habet iustificatio: siquidem Deus cum eo, quem iustificat, se etiam vnit, in eoque habitare vult; adeo, vt nemo iustificetur, in quo se non prodant huius spiritualis vnionis et inde oriundae communionis initia, tamen ipsa iustificatio hac in re haud sita, sed peculiaris diuina actio est, vnio autem cum Deo per quotidianam demum renouationem sensim conficitur.

§. II.

De vnione spiritali cum Deo. 157

§. II.

In statu innocentiae homo concreatae di-Num ho-
uinæ imaginis beneficio cum Deo arctissime mo iam
vnitus erat, Prou. VIII, 31. per peccatum ve-natura
ro non solum *separatio* et disiunctio Dei vnitus est
hominis facta (vid. Ies. LIX, 2. I Io. I, 6. Eph. cum Deo?
II, 12. 13. IV, 18. conf. Gen. III, 24.) sed
etiam infelix coniunctio et communio cum
satana introducta est, Eph. II, 2. qua durante,
homo in vnionem et communionem cum
Deo restitui non potest, 2 Cor. VI, 14-16.
1 Cor. X, 20. 21.

§. III.

Hæc spiritalis vnio cum Deo primum Funda-
fundamentum habet in *vnione personali* diui-mentum
næ et humanæ naturæ in *Christo*, Col. II, 9. 10. spiritalis
Io. I, 14. adumbrata Exod. XL, 34. 35. 1 Reg. vnionis
VIII, 10. 11. (qua de re supra Part. I. Art. VI. quod-
cap. I. §. VII.) adeoque ab ea distinguenda: nam?
proxime autem fundatur in fide, quacum
vera paupertas spiritus coniuncta est, Matth.
V, 3. Ies. LVII, 15. Vocatur alias *inhabitatio*
Dei, *spirituale coniugium*, *institio in Christum*,
aliisque istiusmodi nominibus pluribus insi-
gnitur, quemadmodum e sequentibus patebit.

§. IV.

Vniendi, sunt ex altera parte *Deus triu-*Quinam
nus, Io. XIV, 23. speciatim *Pater*, 2 Cor. VI, spiritali-
16-18. *Christus Iesus*, et quidem secundum ter vni-
vtramque naturam, diuinam et humanam, di-
1 Cor. VI, 17. Eph. I, 22. 23. III, 17. IV, 15.
V,

V, 30. 32. ideo dictus Immanuel, Ies. VII, 14. Matth. I, 23. vnus vir, 2 Cor. XI, 2. Apoc. XXI, 2. sponfus, Io. III, 29. Matth. IX, 15. XXV, 5. 6. 10. caput corporis sui, Eph. I, 22. IV, 15. vera vitis, Io. XV, 1. vita nostra, Col. III, 4. panis vitalis, Io. VI, 35. spiritalis petra, 1 Cor. X, 4. lapis angularis, 1 Petr. II, 6. vestimentum salutis et toga iustitiæ, cetera, Ies. LXL, 10. Rom. XIII, 14. *LVTHERVVS* Postill. Eccles. in epist. fest. Circumcis. ad Gal. III, 27. Tom. XIII. Lips. fol. 236. b. „*Quam pulchra, versicolor et pretiosa illa vestis est, quæ tam mirifice exornata, omnisque virtutis, gratiæ, sapientiæ, veritatis ac iustitiæ gemmis intertexta est, et quidquid in Christo vest, complectitur! Ut adeo merito Paulus gratias agat Deo de eius dono ineffabili, et D. Petrus, 2 epist. I, 4. per Christum maxima nobis et pretiosa promissa donata esse adfirmet. Hæc tunica illa versicolor Iosephi est, quam pater ei suus præ ceteris filiis fecit, Gen. XXXVII, 3. solus enim Christus gratiæ veritatisque plenus est. Item: Hæc pretiosa vestis summi sacerdotis Aaronis est, qua indutus seruiebat Deo, de qua multa haberem, quæ dicerem. Paulus enim hoc etiam verbo ad illas historias nos remittit., Et Spiritus sanctus, qui tamquam arrhabo et pignus futuræ nostræ hereditatis nobis datur, Eph. I, 13. 14. 2 Cor. I, 22. V, 5. XIII, 13. Ex altera autem parte, homines vere resipiscentes et credentes,*
Ies.

De vnione spiritali cum Deo. 159

Ief. LVII, 15. Apoc. III, 20. 2 Petr. I, 4. Eph. III, 17. ideo vocati templum Dei et Spiritus diuini, 1 Cor. III, 16. 17. VI, 19. tabernaculum Dei, Apoc. XXI, 3. coll. Io. I, 14. domus Christi, Hebr. III, 6. 1 Petr. II, 5. sponsa Christi, Io. III, 29. Matth. IX, 15. Apoc. XXI, 2. coniux agni, c. XIX, 7. corpus Christi, Eph. I, 23. membra corporis eius, c. V, 30. palmites eius, Io. XV, 2. 5. *LVTHERVVS* Postill. Ecclef. in euangel. fer. I. Pentecost. Io. XIV. Tom. XIII. Lipsi. fol. 704. b. „Hec noua pentecostes dies vere magna, eximiaque operatio „ac potentia Spiritus sancti, caeleste item concilium, ex utraque parte, sit oportet, ubi mentes per Spiritum sanctum illuminantur, et „amore in Christum incenduntur, et vicissim „Christi ac Patris amor erga homines lucet et „splendet; ubi Deus et homo tam amice „conspirant, ubi ipse Spiritus sanctus hominis animam praeprarat consecratque Deo domum et „habitaculum, templum ac sacram quasi pyxidem (Monstranz), homo autem tam splendidum, nobilem et carum hospitem, incolam „atque habitatorem recipit, qui est Deus Pater „et Filius. Sane magna haec istorum hominum „gloria et gratia sit, oportet, qui dignantur „esse tam splendida habitatio, arx et aula, „nimmo paradysus et caeleste regnum in terra, „ubi Deus habitat.“

§. V.

Media vnionis spiritalis ex parte Dei Media spiritalis

sunt ritualis

vnionis sunt (1) sanctum ipsius *verbum*, Io. XIV, 23. quanam? 2 Petr. I, 3. 4. (2) *sacramenta*; *baptismus*, in quo *εἰς ὄνομα*, in nomen, hoc est, in communionem Dei triunius, Matth. XXVIII, 19. speciatim in Christum eiusque mortem baptizamus, et mortis eius similitudine infortitii reddimur, Rom. VI, 3. 4. 5. ipsumque (instar pretiosæ vestis ad accipiendam in illa benedictionem, vid. typus Gen. XXVII, 15.) induimus, Gal. III, 27. et *sacra cœna*, quæ est *κοινωνία*, communio corporis et sanguinis Christi, 1 Cor. X, 16. 17. XII, 13. cuius digna participatione in vnione spiritali corroboramur ac confirmamur. Vid. Io. VI, 55. 56. *Ministerium ecclesiasticum*, cui hæc gratiæ media administrandi datum est negotium, hunc itidem finem sibi propositum habet, vt homines ex communiōe peccati et satanæ liberentur, ad Deumque in Christo reducantur, Aët. XXVI, 18. 2 Cor. XI, 2. 1 Io. I, 3. *Ex parte hominum* medium huius spiritalis vnionis est *fides*, quippe per quam Christus in animis eorum habitat. Eph. III, 17. Vid. etiam 1 Io. IV, 15.

§. VI.

In quo
consistit
spiritalis
vnio?

Non *consistit* igitur spiritalis vnio in generali præsentia Dei (de qua Ier. XXIII, 23. 24. Aët. XVII, 27. 28. et alibi sermo est), nec tamen in donis et operationibus Dei in fidelibus, sed in eo, quod Christus, et propter Christum etiam Pater et Spiritus sanctus, se-

De vnione spirituali cum Deo. 161

secundum essentiam suam, mystica quadam,
efficaci et plena gratiæ ratione in eis habi-
tant, adeoque cum illis multo arctius, quam
cum reliquis rebus creatis, coniuncti sunt,
Io. XIV, 23. XVII, 21. Gal. II, 20. Quo
modo alias hæc spiritualis fidelium et Dei,
speciatim Christi, vnio sub imagine coniugii,
*coniunctionis capitis et membrorum, vitis ac
palmitum*, aliisque imaginibus proponatur,
vid. supra §. IV. LVTHERVS Postill. Ec-
cles. in euangel. fer. I. Pentec. Io. XIV. Tom.
XIII. Lipsf. fol. 705. a. „*Vos estis templum
Dei viuientis, sicut dixit Deus: Habitabo in
eis et inambulabo. Hoc fit, quando Deus præ-
ter gratiam, per quam homo incipit credere,
verboque innititur, in homine etiam per di-
uinam virtutem et operationem suam regnat,
vt magis magisque illuminetur, spirituali in-
telligentia et sapientia proficiat et confirme-
tur, vt de omni doctrina genere et rebus qui-
busuis cognoscere possit et iudicare; præterea
etiam in virtutibus et bonis fructibus quoti-
die procedat et progrediatur, euadatque ho-
mo lenis, mansuetus et patiens, qui docendo,
consulendo, solando et dando omnibus seruiat,
Deo et hominibus utilis, per quem et propter
quem terræ et habitatoribus eius bene est; vt
summatim dicam, eiusmodi homo, per quem
Deus loquitur, viuit et operatur, quæcum-
que loquitur, viuit et operatur, ita vt lingua
eius lingua Dei, manus eius manus Dei, et*

L.

ver.

„verbum eius non amplius hominis, sed Dei
„verbum sit.“

§. VII.

Quenam
inde com-
munio ex-
sistit?

Ex hac vnione adeo plena gratiæ et so-
latii communio existit, vt homo Deum et
Christum vna cum toto ipsius merito, iustitia,
spiritu et virtute, ad interioris hominis in-
crementum et perseuerantiam in boni et
recti studio, patientiam item in afflictioni-
bus, sibi proprium accipiat, Eph. III, 16-
19. Col. I, 11. Vnde fideles dicuntur esse
circumcisi in Christo, Col. II, 11. cum ipso
crucifixi, Gal. II, 19. mortui, Rom. VI, 3.
sepulti, com. 4. resuscitati et in vitam reuocati,
com. 4. 5. 8. Col. II, 13. in cælestibus collo-
cati, Eph. II, 6. per ipsum omnia posse, Phil.
IV, 13. *LV THERVS* in Postill. Ecclesi. in
euangel. Dom. XX. post Trinit. Tom. XIV.
Lipsi. fol. 354. (a). b. „Quum igitur Christus
„meus sit, et ego sim Christi, si vel maxime ir-
„ruat mors, Christum habeo, qui vita mea est.
„Si peccatum irruat, Christum habeo, qui in-
„stitia mea est; si orcus et damnatio irruat,
„Christum habeo, qui salus mea est. Quid-
„quid tandem irruat, Christum habeo, qui
„propugnaculum meum est, vt me ledere possit
„nihil; et hæc vnio naturæ diuinæ cum huma-
„na in imagine nuptiarum, et summus amor
„Dei in nos in amore sponsæ adumbratur.“ Vi
huius communionis speciatim Christus sibi
adpropriet., quæcumque membris ipsius in
hoc

De vnione spirituali cum Deo. 163

hoc mundo bona vel mala obtingunt, Matth. X, 40. XXV, 35. fqq. Act. IX, 4. Vid. Zach. II, 8. Ief. LXIII, 9. Col. I, 24. In hac ipsa etiam fundatur vnio et communio fidelium inter se mutua; siquidem vnus est Deus et vnus Christus, qui in omnibus habitat, 1 Io. I, 3. Eph. IV, 3. 6. 15. 16. Io. XVII, 20. 23. 1 Cor. XII, 18. fqq. Rom. XII, 4-6.

§. VIII.

Præcipua notæ et γυαγισµατα spiritua- Quænam
lis vnionis sunt: (1) dominium in peccatum, præcipua
1 Io. III, 6. (2) victoria de mundo, 1 Io. IV, γυαγισ-
4. (3) sensus spiritus, Rom. VIII, 9. 1 Io. σµατα?
III, 24. V, 20. (4) observatio præceptorum
Christi, 1 Io. II, 5. (5) imitatio Christi, 1
Io. I, 6. 7. II, 6. (6) vere fraternus amor, 1
Io. IV, 12. (7) ingenua confessio Christi,
com. 15. (8) efficax communio perpeffio-
num Christi, Phil. III, 9. 10. 2 Cor. XIII, 5.
(9) desiderium hinc migrandi et degendi
cum Christo, Phil. I, 21. 23. ad quæ omnia
par est nos diligenter exploremus.

§. IX.

Officium nostrum secundum hanc do- Quodnam
ctrinam est, (1) communioni peccatorum et secundum
satanæ in vera resipiscencia valedicere, quip- hanc do-
pe qua non sublata, vnio et communio cum ctrinam
Christo locum habere nequit, vid. supra §. II. officium
(2) a Deo illustratos mentis oculos perere, nostrum?
vt summam et diuinam huius vnionis, quæ
est μέγα µυστήριον, magnum mysterium,
L 2 (Eph.

(Eph. V, 32. coll. 1 Tim. III, 16.) dignitatem cognoscamus, eaque cognitione salutariter utamur, Io. XIV, 16. 17. 20. (3) eo contendere, ut hac in vnione, si in eam perducti sumus, per frequentem mediorum salutis usum, in primis per sæpius iteratam dignam cenæ dominicæ participationem, et fidelem virium, quæ ex inhabitatione Dei et Christi ad nos redundant, ad amorem et obedientiam erga ipsum ipsiusque præcepta adplicationem, magis magisque radicemur et corroboremur, Io. XIV, 23. 1 Cor. VI, 17. (4) quum per hanc vnionem templum Dei facti simus, cauere, ne illud corrumpamus, sed Deum nostris et corporibus et animis, quæ Dei sunt, honoremus, 1 Cor. III, 17. VI, 20. (5) illos etiam, in quibus Deus habitat, et dona Dei in ipsis sincere amare et honorare, nec vlllo modo in eos peccare, 1 Cor. XIV, 25. Vid. supra §. VII.

§. X.

Quodnam
fidelium
solatium
ex hac
vnione?

Solatium fidelium ex hac vnione est, (1) quod Deus ex parte sua sibi eos non in hodiernum et crastinum diem, vel in annos aliquot, sed in perpetuum desponsauerit, Hof. II, 19. Io. XIV, 16. (2) Quod per hanc vnionem domicilium, templum et tabernaculum Dei facti, atque ita ad ineffabilem gloriam ac dignitatem euecti sint. Vid. supra §. IV. *LVTHERVS* in Postill. Eccles. in euangel. fer. I. Pentec. Tom. XIII. Lips. fol.

De vnione spiritali cum Deo. 165

706. b. „Hec est præclara illa promissio de
 „præstantissima Christianorum gloria, quod
 „Deus illis tantopere se demittit et propinquus
 „est, ut nusquam nisi in ipsis, et per verbum,
 „ac opus, manum et os eorum sese prodere, vi-
 „deri atque audiri velit, eaque re ingens dis-
 „crimen faciat inter ipsos et reliquos homines
 „vniuersos, adeo ut vel tenuissima sortis Chri-
 „stianus prorsus alius sit, et coram Deo multo
 „honoratior habeatur, quam omnes in vniuer-
 „sum reges, imperatores, principes et magna-
 „tes huius mundi, qui nihil huius gloriæ habent
 „aut sciunt, quemadmodum Moses Deut. IV, 7.
 „ait: Quæ tanta gens est, ad quam dii acce-
 „dant, ut Iehoua Deus noster, quoties eum in-
 „vocamus? ut vel hinc dignum sit verbum
 „euangelii, cui faueamus, fidenter adhareamus,
 „illiusque causâ, quidquid in mundo est, dere-
 „linquamus.” (3) Quod ipsis propter hanc
 vnionem nec vires necessariae ad sanctimo-
 niam defuturæ sint, nec necessaria sub affli-
 ctionibus consolatio, Eph. III, 16. 17. Ies.
 XLI, 10. XLIII, 1. 2. XLV, 24. (4) Quod
 hinc possint confidere, fore, ut qui in ipsis
 opus bonum fidei inchoarit, idem absoluat
 usque ad diem Iesu Christi, Phil. I, 6. utpote
 qui in ipsis non otiosus est, sed in illis habi-
 tat, viuit, operatur et inambulat, c. II, 13.
 2 Cor. VI, 16. Gal. II, 20. (5) Quod non sit,
 quod metuant, quia is apud eos et in eis est,
 qui maior est, quam qui in mundo est, 1 Io.